

ROMA SACRA

Oratio ad Deum iussu Benedicti XV P. M.

a catholicis universi orbis recitanda, qua finis bellorum pacisque redditus imploreter (1).

Horrendo exterriti bello, quo gentes et regna subvertuntur, ad Cor tuum, Iesu, nostri amantissimum, tamquam ad supremam salutis spem, configimus. Te, Deus miserationum, gementes exoramus, ut immani flagello finem imponas; Te, Rex pacifice, pacem quo citius restituas, votis ac spiriis comprecamur.

E corde tuo divino radians in mundum erupit caritas, per quam, omni depulsa discordia, unus inter homines amor regnaret; dumque vitam mortalem ageres, animum pientissima misericordia intime commotum gerebas. Cor igitur tuum moveat, quaeso, miseratio erga nos, quos tempora premunt tam feris odiis, tam horrendis stragibus funestata.

Miserere tot matrum quae, de sorte filiorum anxiae, maerore conficiuntur; miserere tot familiarum, patris ac ducis necem lugentium; miserere infelcis Europae, cui tanta impedit ruina!

Mitiora tu consilia rectoribus gentium ac populis adspira; compone, quae nationes dilacerant, dissidia; hominesque, quos, tuo effuso sanguine, fratres effecisti, ad pacis foedera et oscula fac revertantur. Quod olim ad supplicem Petri Apostoli clamorem: « Domine, salva nos, perimus » benignum dedisti responsum, tranquillatis verbo procellos fluctibus, idem hodie, nostris exoratus precibus fiduciae plenis, placatus iterare velis, redita perturbato mundo tranquillitate ac pace.

Tu quoque, Virgo Sanctissima, sicut alias inter calamitosa tempora opem mundo atulisti, ita nobis fer auxilium, munimen, salutem. Amen.

Acta Benedicti XV P. M.

Litterae ad R. P. D. Ioannem Ireland, Archiepiscopum S. Pauli de Minnesota, de nova aede cathedrali Paulopoli propediem dedicanda.

Quum tu novae cathedralis aedis, in ista honoris tui sede, initia poneres, scimus decessorum Nostrum fel. rec. Pium X, datis ad te litteris die xx mensis Aprilis anno MCMIV, tum laudes tibi, venerabilis frater, tribuisse ac piis hominibus, qui suis te opibus adiuvarent, tum hortamenta ad peragendum incepturn adiecisse. Nunc certiores facti sumus aedificationi iam esse fastigium impositum, eamque, excepto interiore ornatu, omni ex parte sic absolutam, ut ipsius dedicatio sollemnis in diem undecimum proximi mensis Aprilis constituta sit; eiusmodi autem excitatum esse templum, ut et amplitudine et magnificentia et formae elegantia insigne dici posse videatur. Haec Nos perlittere intelligentes, facere non possumus quin omnes, quotquot ad rei successum contulerunt aliquid, eos praesertim qui, pro suo Religionis amore, egregie se munificos prae-

stiterunt, dilaudemus. Tibi vero, qui eum in omni pastoralis officii munere virtutem praecellare actuosam ostendere consueveris, tum in hoc ipso declarasti quam decorem Domus Dei diligeres, in primis gratulamur instantiam curasque tuas e sententia successisse. Auspex autem caelestium bonorum ac testis paternae benevolentiae Nostrae sit, venerabilis frater, apostolica benedictio, quam tibi eisque omnibus quos memoravimus, atque etiam reliquo tuo clero ac populo amantisime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xiv mens. Martii MCMXV.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

(1) Latine reddidit I. TASSET.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ~ ~

MONITUM

Bello et apud Italos nunc saeviente, facile fieri potest ut Aliae Romae fasciculi, non secus atque commentariorum omnium, vel transmissionis moram patiantur, vel etiam omnino disperdantur. Parcant socii rerum adiunctis, et pro certo habeant nos sufficientia satis cuiusque fasciculi exemplaria apud nos servaturos, quibus fortuita damna suo tempore resarciantur.

Neque eventum non praevidimus aliquius intermissionis, cui commentario nostro subeundum sit. Ne tum quidem ulla dubio socii agitentur: sive enim deinde frequentiores numeros edendo cum eorum rationibus paria faciemus, sive tempus subnotationis ita pro singulis proferemus, ut tum annua ipsa subnotatio absolvatur, quem fasciculos duodecim, ex iure suo, quisque habuerit.

ALMA ROMA.

Ex praesenti bellica re historicae animadversiones

Quaecumque ab humano genere, a creatione ad hunc diem usque, consummata sunt, aliquam sui profecto rationem ea habuisse et habere censendum est, quae cum rerum omnium supremo fine connectatur; secus enim et homo et humana societas inanes omnino exstant, quatenus uterque haud totius admirabilis creationis operis unum esset testimonium intelligens, ratione praeditum atque volens, dummodo id perpetim omnium oculis simul ostendat atque aperte evincat historia, veritatis lux, huius probandae rei iuge argumentum.

Immo, quo magis in civilitatis atque doctrinae itinere proficiscamur, eo magis confiteri cogimur, illum vere felicem virum appellari oportere, qui rerum causas, vel principia, quibus ipsae dignuntur, cognoscere potuit.

Quamvis autem insignis recentiorum temporum scriptor beatos populos vocavit, qui historia careant (1), huic tamen quodammodo adstringeremur, animadvententes humanitatis historiam, magna

(1) CAPPONI G., *Lettere*, § 169.

ex parte, historiam scelerum atque errorum esse nuncupandam.

Revera, quidnam invictius probationis argumentum in medium afferre quis valeret, quam quod ab hodierna historia exhibetur, per conflictum illum, in quo nationes contendere videntur in exquirendis atque infestioribus efficiendis instrumentis, quibus alia alia saevior sedecat?

Prope asserere non dubitamus crudiores bellus, si his loqui par esset, potiori iure nosmetipso homines immunitatis santes incusaturas, quando illae interdum generosos iacunt impetus, qui ab hominis corde, perfidiae culmine attacto, desilire minime apparent.

Maximum hae res nobis omnibus horrorem atque dolorem absque dubio afferunt; sed tamen imperscrutabilis Divinae Mentis arcane accident, propositionibus licet atque pacis conventibus habitis, principum etiam tractatibus hic et illie sanctis, ex quibus tandem aliquando prosperitatis diem, quae omnium esset in votis, assequi populi potuissent.

En, ex adverso, quum nemo id serio mente volveret, horrendum ingruit, post exsecrandum Seraevi scelus, gentium certamen, quo nullum magis unquam terrae faciem depopulatum est; tale immo, ut inde colligere necesse fiat, haud iuris vim, sed virium ius summo nunc imperio potiri.

Iamvero, quoties parumper illud intuemur quod in singulis belli regionibus evenit, mox arguimus nationem A potiorem natione B, quod in finibus C pugnam D vicerit; sed perpauci inde dies transeunt, quin litterae vel quaelibet supervenientes notitiae priorem nuncium improbent, adeo ut declarationes, affatusque inter callidores viros habiti obmutescere cogantur prae postrema contradicenti notitia...

Num ergo, quaero, tam detestandi certaminis origo, quo probrum atque totius humanitatis ignominia constituitur, alia, quam quae a nobis adfirmatur, causa inquirenda? Nulla quidem prorsus, quam ista haec. Scilicet, quod quaevis natio suam magnitudinem atque fortunam expetat cum alterius detimento, immo etiam cum ipsius integra eversione.

Significantius ante omnia exemplar in conspectu omnium praebetur a Germanica item atque Belgica natione; ab hac quidem parva, sed strenua atque ditione; ab illa autem, magna profecto atque strenua armisque summopere instrueta; sed, comparativim, auri inope.

Belgica autem tellus, invitum quidem heroicis conatibus, qui totius orbis admirationem nacti sunt, Teutonicae proterviae concedere nisa est, quae non modo illius insignia monumenta subvertit, sed ita eam de fortunis evertit, ut opem auxiliumque possere coacta sit a comibus caeteris populis, qui certatim ei nunc succurrere student.

Hisce tamen positis, quae nuper diximus, si etiam humanitatis historiam a remotioribus usque aetatibus perpendamus, atque cum illis gestis conferre velimus quae in modernis nationibus occurront, quasi necessario colligere impellimur, belli statum habendum, quasi illum qui rotatim eidem humanitati congruum adsit, perenni fere probationis causa tum hominis singillatim habiti, tum hominis in societate degentis.

Atvero, super mille populorum seculi, modo victorum, modo debellatorum, alter graditur populus qui, eras fortasse, cum illis aget.

Saecula sunt humanitatis dies; sed in eorum alterna vice, humana facta novam formam, novis nominibus, induunt, progressus nempe vel occasus, vel resurrectionis quidem; quoadusque perfectionis plenitudo successerit.

Quae veritas praesertim ab insignioribus quoque viris, veluti Vico, Denina, Bossuet, De Maistre, Chateaubriand, Dandolo, Quinet, Balbo, Herder aliisque concorditer ostenditur et nonnullis validissimis roboratur argumentis.

Sed, interiorem atque reconditam philosophiae historicae synthesim relinentes, paulisper unum perpendamus praeciarum facinus, quod ad Veteris Graeciae historiam pertinet, quodvde hodie tam dilucide nobis adparet, prae teritis quidem viginti quinque abhinc saeculis (si ab anno ccccxl a. C. proficiscamur) illudque cum iis conferendo quae ante omnium oculos eveniunt, ut necesse fuerit collationis eiusdem veritatem penitus recipere.

Revera a Psalmographo beatus (1) Babylonis victor vocatur; neque profecto populorum domitor, quo fortunatior nemo inveniri possit, Cyrus. Isaias, qui nomine suo ipsum appellat duo saecula ante, ostendit ipsum Deum qui manu Cyrum capit, ut sibi nationes subigat, reges fuget; eique thesauros absconditos Croesi et Babylonis ostendit (2).

Xenophon autem, famosus historicus, philosophus, strenuus bellator, testis ipse gestorum a se tam praeccise narratorum, quatuor saecula post Isaiam, duo post Cyrum, hunc regem nobis refert parvae praeeuentem Persarum aciebus, quibus se adiungunt Medi Hyrcanique, ut subigant Syros, Assyrios, Cappadociae incolas et utriusque Phrigiae, Ly diae, Cariae, Phoenices, Babylonenses, Bactrianos, Indos, Cilicienses, Graecos, Asiae, Cypri insulas atque Aegyptum (3).

Tantus autem est nominis eius terror, ut istorum populorum nullus reperiatur

(1) *Psalm. 156.*

(2) *ISAIAS, cap. XLV.*

(3) *XENOPHON, Cyrop., Lib. I.*

qui eius auctoritati resistere audeat; immo nil aliud exoptent omnes, quam nullum alium habere dominum.

Verum, post duo millia saeculorum et dimidium, humanitas semetipsam invenit coram haud dissimili momento, sed cum illa peculiari nota, quae tamquam lapis lydius permanet, plurimum scilicet populorum, qui libertatem atque iura sua adversus alienigenorum proterviam vindicare coguntur.

Sunt duo diversa supremorum ducum nomina, qui sibi principatum in hostilibus castris, inter nationes, vicissim contendunt. Vetustis Cyri atque Artaxerxis nominibus hodierna Nicolai atque Guillelmi nomina subeunt.

Moscovita agmina adversus Teutonicos exercitus dimicant: uterque imperator cum finitimis gentibus foedus inire contendit, ut triumphum suum tutiorem reddat, absolutamque aemuli adipiscatur eversionem.

Haec quidem inexpugnabilis est veritas. Imo magis, duo supremi duces Dei nomen Altissimi adprecantur quoad usque alteruter victrices lauros carperit!...

Atqui ad vigesimum illud saeculum et ultra pervenimus, cuius initio aiebat quisque ab humanitate progressus sui verticem ita attactum, ut non modo homines in hac demissa terrestri sphaera, amicissime magna amoris conspiratione consentientes invicem sibi colloquerentur, sed in caelestibus quidem regionibus, in aethereis instrumentis, dexteram sibi manum mutuarent.

Sed, heu! aërea illa instrumenta in caelum quidem, sed ad debellandum vehuntur, terribili humano studio, adeo ut et in ipsam inclytam magnamque Lutetiam martia spicula impingantur, neve homo quisquam insons inopinatam repentemque necem vitare valeat. Neque secus praelium in arcanis subaqueis

viis accidit, ubi horrendius ac dolosius per metallicos rivos lethum paratur

Vah! Nequaquam res civilis est bellum, uti ironicis verbis pronuntiabat iure insignis Italicus poeta: Genius mercator, mundum humaniorem reddendi pondus sibi assumpsit: Mavors negotia detexit! (1).

Super his, inter tot horrenda discrimina, una vox, eaque multae desuper auctoritatis summaque innocentia atque abstinentia praestans, auditur, Summi scilicet Pontificis. At vero frustra ipsa inclamat!...

ANTONIUS adv. MARTINI.



De agapis Christianorum

Miratus fortasse quispiam est, legens quae in superiore fasciculo SENIOR disseruit, intra aedes sacras ad memoriam Sanctorum Martyrum celebrandam, Agapas, hoc est convivia, instrui solere. Numne etiam scandalum suscepit? Inutile igitur haud videtur, si de ipso arguento peculiarem sermonem instituentes, Agaparum originem et historiam breviter hodie repetamus.

Atqui in mentem revocare iuvat, Christum ipsum, antequam Iudeis ac morti sese traderet, postremam coenam Agaparum exemplar fecisse; atque ideo facile intelligitur vel ipso Apostolorum tempore huiusmodi convivia et epulas cum Eucharistiae memoria procliviter conecti. Mensae autem divites accum-

bebant et pauperes, fratrum more, una Christi dilectione — ita enim Agapae nomen sonat — populum coniungente, ita ut in communione sacri convivii, non tam animi, quam corpora solatium conciperent et promiscuum facerent caritatis usum (2).

Cuius generis haec convivia fuerint, docet Tertullianus (3): « Nihil vilitatis — inquit — nihil immodestiae (ista) coena admittit. Non prius discubitur, quam oratio ad Deum praegustetur. Editur, quantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse ». Et Minucius Felix (4): « Convivia non tam pudica colimus, sed sobria; non enim indulgemus epulis, aut convivia mero ducimus, sed gravitatem hilaritate temperamus ».

Attamen, vel ipsis Apostolorum diebus, in hanc piam convivandi consuetudinem, partim ambitione divitum, partim etiam vulgi copia, non paucos irreperere coepisse abusus dicendum est; quamobrem suum esse duxit Paulus, Corinthios debiti offici monere, corruptosque eorum mores vulgatis iis verbis castigare: « Convenientibus vobis in unum iam non est Dominicam Coenam manducare; unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum; et alius quidem esurit, alias autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnit et confunditis eos qui non habent? ». Sanctus quoque Iudas (5) Christianas agapas a Gnosticis comma-

tum; siquidem inopes quoque refrigerio isto iuvamus ».

(3) Ibid.

(4) Octavius.

(5) Epist. Can.

culari animadvertisit; hinc SS. Patres omnibus nervis deinde contendere ut piuum institutum ab ingruentibus vitiis expurgarent; illos contra, qui sacram illam consuetudinem despicerent, ecclesiasticae communionis beneficio privare.

Quomodo convivia haec Dominica in honorem quoque Sanctorum Martyrum deducerentur, primum est, quum consideretur alia quoque inter cives, et ipsos christianos, sacrorum epulorum genera fuisse; natalitia scilicet, funebria et connubialia (1). Ad primum praesertim agapa referenda est; siquidem incredibili pompa et gaudia natales Martyrum dies — (ita enim, ut cuique patet, dies eorum mortuales nuncupabantur) — celebrari consuecebant. Quamquam adnotandum est, huiusmodi convivia, licet agapae a Christianis appellarentur, longe tamen ab agapis Dominicis distare, ad sacrae Coenae a Christo ante mortem peractae imitationem celebrandam institutis, et cum Eucharistia, uti diximus, coniunctis. Martyrum enim agapae, si non semper, saepe saltem in cruento sacrificio caruisse videntur, et a rudibus potius populis, quam ab Apostolis, inductae. Nempe tot populis nuper ab ethnicorum er-

rore ad Christi fidem conversis dum nimis erat omnino illis ritibus renunciare, quibus a teneris annis as-

Ad Deum

BELLO IN EUROPA HORRENDUM DEBACCHANTE. (1)

Immanis belli perculti horroribus atris,
Quod populos una et subruit imperia,
Ecce tuum, Iesu, ad Cor, securam utpote ad arcem
Unde suprema salus, nos cito confugimus.
Te ut saevum tandem sileat miserante flagellum,
Nostra iterum atque iterum vox gemebunda rogat.
Confisi Tibi, qui pacis Rex iure vocaris,
Paciferam votis acceleramus opem.
Olim Corde tuo effulsit, quo solus in orbe
Litibus amotis sceptris teneret, amor.
Candida, factus homo, pietatis sensa fovebas
Aegris ac miseris spes medicusque volens.
Ergo quoque hac hora, Cor amans, moveare, ferinis
Foeta odiis late ac stragibus horrisona!
Tot matrum, dum pugna furit, miserere benignus
Prolis de avulsae sortibus ancipitum!
Sic tua diva etiam, Iesu, praecordia tangat
Plurima flens validum stirps viduata caput;
Denique in Europam miseram gravis ira quiescat,
Cui tanta incubuit Marte ruina truci!
Principibus, populis afflato foedera scissis,
Componens, gentes iurgia quae lacerant.
Sanguine et effuso fratres nos Qui esse dedisti,
Fac sibi dent homines oscula pacis adhuc;
Ac veluti Petro: « Nos salva » — orante — « perimus »!
Ad nutum aequa tuum constitut unda furens,
Sic iterare velis et nunc pia iussa, renatae
Pacis mox orbi munera restituens.
Tu quoque, Virgo potens, parili discrimine, ut olim,
Nos ope prompta iuva, protege, salvifica!

Mediolani, Idibus Iuniis MCMXV.

CAESAR MAMBRETTI.

(1) Supplicationis a Summo Pontifice Benedicto XV concinnatae, paraphrasis.

suevissent; cuiusmodi fuere convivia illa, quae in suorum funere habere mos erat, quibusque mortuorum animae

(1) GIUSTI G., Poesie. *La guerra*.

(2) Cfr. TERTULL., *Apolog.*, XXXIX: « Coena nostra de nomine rationem suam ostendit; vocatur enim ἀγάπη, id quod *dilectio* penes Graecos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sum-

(1) Cfr. GREGORIUS NAZIANZ., *carm.* ix.

frui atque exhilarari ferebantur. Quae quidem ethnicorum menti tam alte insederat opinio, ut obsequio atque amori erga maiores omnibus insito, ipsique religioni a natura inspiratae, deesse arbitrarentur, qui ab hoc officio abstinuisserent. Itaque piissimi Christianorum Patres, quando ineptum hunc ritum omnino evertere non possent, satis esse opinati sunt, si, ut in aliis contigerat, purificarent, efficerentque ad Christi religionem accommodatum. Epulum ergo illud, quod in moeroris speciem suis mortuis ethnici parabant, laetitiae argumentum coepit esse Christianis, terrenae vitae finem et caelestis immortalis initium in unum congregantibus. Hac ratione dum Martyrum gloria repetebatur, Martyrii atque virtutis amor altius quoque inspirari solebat (1).

Quamquam, ut innuimus, ex indulgentia potius Christianae plebi convivia in honorem Martyrum celebrare fas erat; re quidem vera, ea, quae facile certos fines excedere possent, coarctationibus muniebantur, ne solemnis dies non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebraretur; quia valde absurdum esset nimia saturitate velle honore Martym, quem scirent Deo placuisse ieiuniis (2).

Sancti Augustini aetate istum convivandi morem a plerisque Italiae ecclesiis iam fuisse eliminatum ex ipso summo Doctore scimus, qui maxime contendit ut et in Africa deleretur; aut saltem epulae ita converterentur, ut in pauperes erogarentur (3). Ex quibus alia ritus eiusmodi species occurrit explicanda,

quae et ipsa a Christianis ecclesiis demum exsulare coacta fuit. Nonnulli siquidem, ut Basilicis ac Coemeteris SS. Martyrum reverentiam ostenderent atque ebrietatis suspicionem declinarent, ita se continebant, ut illuc quidem dapes deferrent, sed eas deinde domi aut suae ipsi comedenter, aut indigentibus elargirentur. Sed ne hunc quidem usum qui potissimum in Mediolanensi ecclesia locum obtinuisse videtur, tulit Ambrosius, ut omnis aditus reliquorum intemperantiae praecluderetur. Vulgatissimum est quod matris suae Monice, dum Mediolani ageret, contigisse S. Augustinus tradit (4). Ut in Africa in more positum erat, ad Mediolanensem Martyrum tumulum detulerat illa dapes quasdam (pultes, panem et merum) partim a se libandas, partim pauperibus distribuendas. Verum ubi ab Ostiario didicit, interdictam ab Ambroso episcopo consuetudinem fuisse, continuo paruit, ne ipsam quidem interdicti causam sciscitata. Quam quidem causam ab ipso Augustino factum enarrante comperimus, ne scilicet vel « ab eis qui sobrie facerent... ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, et quia illa quasi Parentalia superstitioni Gentilium essent simillima ». Monica sic « pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatoribus votis pectus ad memorias Martyrum afferre didicerat ».

Non tamen adeo potuit hic usus antiquari, ut illum populus, vetustorum rituum tenacissimus, omnino eiuraret. Eiusdem vestigia temporibus etiam S. Caroli restabant, quum in quibusdam sacris piarum Sodalitatum aedibus con-

lanus in *Carm. Natal.* IX, vehementibus verbis in ipsa convivia invehitur, non solum ut ebrietas ab iis arceatur, sed ut a SS. Martyrum basilicis omnino removeantur.

(3) S. AUGUSTINUS, *Epist. LXIV.*

(4) *Confession.*, lib. VI, c. II.

vivia statis diebus, eaque sub religionis specie agerentur; quae sanctissimus vir in Concilio Provinciali I et III valde reprehendit prohibuitque; sicut etiam Generalia Concilia caverant, iam inde a Laodicena Synodo.

Sed tandem vela contrahere iuvat, ut cum doctissimo illo Ludovico Antonio Muratorio (1) concludamus, « convivia primo in SS. Martyrum honorem celebrari ex indulgentia patrum consuevisse; deinde quod ebrietas et luxus vitiarent instituti huius fructum, a sacris templis fuisse eliminata, unaque cum iis omnem Agaparum usum ».... « Etiam discimus, ne eos quidem ritus interdum in Ecclesia Dei ferendos esse, qui tametsi a pietate originem habeant,abusibus tamen nimiis contaminantur. Non enim inficiari possumus quin Agapae in Martyrum natalitiis peractae, ideo Christianae plebi placerent, quod gratissimae Caelitibus crederentur: quae pia opinio fecit, ut ab Episcopis toleratae aliquamdiu fuerint. At quandoquidem in illam consuetudinem tot abusus irrepserant, satius visum est, ritum non sacrilegum prorsus tollere, quam ullam pietati communionem cum vitiis relinquere ».

**

Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum.⁽²⁾

*Si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
Scire velim, chartis pretium quotus arroget*

[annus.]

*Scriptor abhinc annos centum, qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet, an inter
Viles atque novos? Excludat iurgia finis!*

(1) *Anecdota Graeco-Latina*, disq. II.

(2) Cfr. an. II, fasc. V.

Electissimi adulescentes!

Haud abs re mea esse putabo vos monere, iam inde a versu duodecimmo in speciem iucundissimi episodii, quo splendide actionem suam exornat, poetam, usque ad versum undenagesimum, totum esse in contendendo cum populo Romano, qui acerrimi iudicii in ceteris rebus deeernendis, toto attamen caelo pererret, quum veteres suos scriptores conferre nitatur cum poetis qui antiquitus apud Graecos floruerint. Ac propterea, liberius ingenium suum secutus, vel ad Augustum dictitans, lepidissimis verbis perpetuo adversarios adgreditur, eorumque sententiam in definiendis annis ad immortalitatem obtinendam necessariis uti absurdam blandulus carpit et corrigit, atque viam sibi facilem communis ad conscribendum de scriptoribus, qui primo tempore aliquod sibi in litteris nomen compararunt. Sed antea nos poeta miroque modo, qui suus est mos, rapide ad doctiora illa Graecorum certamina revocat, quae, uti recte vos noveritis, atque ipse nuper memoravi, in more posita erant; ubi apud Olympiam, adeptente vere, quarto quoque anno, in conspectu omnis Graeciae luctatores oleo *uncti* decertabant, quo facilius adversariorum incursus eluderent. Attamen in illo omnis Graeciae conventu non erant modo gladiatores, sed et poetae, historici, oratores, pietosus. Herodotus hic suam rerum graecarum narrationem, omnibus admirantibus, lectitans, Graecorum animos mirifice exaltavit. Maximus honor erat victorem dici atque inter tot homines laurum Victoriae meruisse. Iuvat hac de re Cornelium obiter audire: « Magnis in laudibus tota fere fuit Graecia victorem Olympiae citari, in scaenam vero prodire ac populo esse spectaculo nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini ». Neque hic doctae antiquitatis mos omnino in

(1) Cfr. S. GREGORIUS NYSSENUS in Oratione S. Gregorii Thaumaturgi; S. IOANNES CHRYSOSTOMUS in laudatione S. Martyris Iuliani; S. GREGORIUS NAZIANZ., *carm. CCXVII.*

(2) Ita S. HIERONYMUS in litt. ad Eustochium. — Eiusdem aequalis S. Paulinus No-

desuetudinem, temporibus labentibus, abiit; placet enim identidem et potentissimis populis omnium artium specimen promulgari et commercii in suorum aliorumque exemplum atque admiracionem exponere. Hoc idem nomen vulgatissimam recentiorem consuetudinem vobis in mentem revocat, quae nunc pro industriis, nunc pro artibus apud humanissimum quemque populum viget. Quid enim sunt, quid sibi volunt illa omnium ingeniorum certamina, quae recognitiones, exhibitiones (vulgo *Esposizioni*) adpellantur? Paucis enim mutatis, et si elegantiorem rerum formam excipias atque ampliorem artium hominumque concursum, ipsae nostrae *Esposizioni* idem plane sunt atque ludi Olympiaci. Sed in palaestras Graeci quum descenderent oleo doctius ungebantur.

Male salsus ridens haud dissimulat poeta aegritudinem suam in homines, qui falso ab una modo aetate virtutem scriptoris aestimant, quasi sint poemata ut vinum, quod antiquitate usque viget et melius fit in dies, vires et pretium senescens acquirit.

Arroget... Ut orator qui sibi per praeumptionem atque superbiam in comitiis curiatis honorem legitime afferat et munera iure tribuat.

Quotus annus... seu quot potissimum post annis scriptor possit sibi merito attribuere praemium laudis.

Rem suam hic actitare poeta prope modum videtur, adeo generosa bile turgescit tamque in adversarios animosus invehitur! «Hi nempe homunculi laudem honoremque dabunt!» Id fere dicendum, quum et nostra aetate ineptissimi quidam ephemeridum scriptores, at procaces in primis atque inverecundiae frontis, nulla prorsus sapientia, nullis litteris de operum auctoribus iudicare sibi arrogant, eosque superbe detre-

stant, et quod est summopere improbandum, vel in lutum deiiciunt.

Qui decidit... (ut mox *deperit*) idem sonant atque «fato concessit» — *Decidere* vero est quasi ad occasum vertere, pervenire ad finem vitae, ita tamen ut quidquid est molesti in morte aut aerumnosi inter homines, per vocabuli suavitatem ac velato nomine eludatur. *Deperire*, e contra, est aliquid gravius, sed saepe et optimae notae scriptores acceperunt eodem sensu ac *perire*, seu natura diem obire supremum, etiamsi in reprobum sensum rite adhibeatur, idest pro exitio.

At quamvis poeta versetur in re tenui ac quasi pedestri, se se gerit tamen sapide semper atque eleganter, ut, vel in hisce rebus dicendis, magister purioris carminis et auctor evadat. Ac propterea et in primis ob hanc causam tu ponere eum debes *honeste*, seu magno cum honore, inter veteres poetas, idest inter eos, qui omnium sententia primas usque retulerunt.

Namque opportune adiungit:

- *Est vetus atque probus, centum qui perficit annos!*
- *Quid, qui deperit minor uno mense vel anno?*
- Inter quos referendus erit? Veteres ne poetas, An quos et praesens et postera respual aetas?*
- *Iste quidem veteres inter ponetur honeste, Qui vel mense brevi vel toto est iunior anno!*
- *Utor permisso, caudaeque pilos ut equinae Paullatim vello, et demo unum, demo etiam unum.*
- Dum cadat elusus ratione ruentis acervi, Qui redit ad fastos et virtutem aestimat annis, Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.*

Dum ironice dicit *iurgia*, seu lites inter se contumeliosas longe esse repellendas, ipse argute ac pugnax cum illis iterum contendit, qui in iudicandis carminibus magno litterarum dedecore rectique iudicij detrimento, mordicus nimis veteribus verbis numeroque annorum

adhaerere consueverunt. Prope ob oculos legentium ponit molossicos hosce atque inopportunos adversarios, eosque ludibrio habet, ut omnibus sint iocus et fabula. Sed quinam erant? Quonam nomine adpellabantur? Qua in litteris auctoritate? Cur tam animose eos insectatur?

Est poetarum satyricorum consuetudo aliquando inter carmina sua res inserere hominibus aetatis suae clarissimas itemque pretiosas; quae posteris obscura fiunt atque insolutae nulliusque pretii. Quid haec ad nos quae dicuntur? Ex historia Sertorii, qui ut barbaros ac ferociores militum suorum animos erudit, duos equos adduci iussit, alterum imbecillum, alterum validum. Imbecilli apposuit virum fortem, valido infirmum. Dato signo, vir fortis equi imbecillis caudam ambobus captans manibus, totam simul abstrahere et avellere nitebatur frustra: contra, vir infirmus fortis equi caudam brevi denudavit, singulos pilos evelens. Tunc adsurgens in concione Sertorius ait: — «Videtis, comilitones, industriam plus posse quam vires: sic quae uno impetu superari nequeunt, paullatim arte et patientia vincuntur». Sie fusius narrat Plutarchus. Nil sane melius, nihilque aptius hominibus persuadet, quam brevis ac facilis narratio. In exemplum sit celeber Menenii Agrippae apogonus apud romanam plebem. Quid quod? Uti ex frumenti acervo si granum unum tollas, atque alium, facile ad nihilum redigitur, namque eadem ratione, qua necessario corruit tandem acervus, cui continuo unum granum post alterum substraxeris, ita, si e centum annis unum atque alterum demas...

Qui ergo numerus erit necessarius ad immortalitatem?

Allusio est ad *soritem*; quae argumentatio est acervus multarum propo-

sitionum, quas dissolvendo singulas, tota vis argumenti solvit. Sicut autem Chrysippus insistendum in una e propositionibus nequicquam dicebat, ita hic annos non posse definiri ostendit Horatius. Unam mors ergo donabit virtutem poetis atque certam gloriam!

Elusus... Admiratus, ut gladiator ab adversario artem magis calente elusus est tandem, et victus concidit; sic, qui unice antiquitatis rationem init, se versari in magno errore cognoscit, ac propterea per aliam viam, seu per funus, ad laudem aeternitatis perduci posse.

Ad fastos: qui operose quaerunt in fastis testimonium aetatis singulorum scriptorum.

Libitina. Idem est atque mors. Dea autem erat apud Romanos, in cuius templo ea passim adserabantur, quae in pompis funebris adhiberentur. Placet Horatio hanc deam pro morte identidem nominare. Sic iam de gloria immortalitatis securus dictat:

... multaque pars mei
Vitabit Libitinam...

seu: certissime nominabor ut vivus vel apud posteros. Complures veteres, et apud illos quos sapientes nos dicere solemus, homines immortales esse falso negabant. Hinc mors est illis omnium malorum tetrorema pernicies, quam poetae sibi minime timebant. Ipsi enim posteritati iam intersunt suae, nec fato cedere debent, et facile inter immortales pro re nata, cooptantur. Hinc iocose scripsit Marcus Valerius Martialis: qui, Nerone imperante vixit, et epigrammata condidit acumine et sale respersa, atque urbanitate sua omnium bonorum studia sibi facile conciliavit, in Vacerram quemdam insectatus est, qui eamdem hanc sententiam in medium retulit. Quum enim iam sit securus inter immortales adscribi, se se excusat quod mori debeat

ut ipsi complacet, et sic immortalitatem adipiscatur. Ait enim:

*Miraris veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos poetas...
Ignoscas, petimus! Vacerra, tanti
Non est, ut placeam, tibi perire.*

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

MAXIMA DEBETUR PUERO REVERENTIA

Haec Iuvenalis sententia est equidem multis laudibus efferenda, et semper in mentem revocanda vel apud populos divina sapientia afflatos. Attamen haud te latet, candide lector, inter recentiores scriptores nostrae aetatis longe alia probari atque in vulgus edi. Namque haud desunt qui in puerili institutione liberius dicant et illa in ipsis scholis docenda esse, quae modo labentibus annis pueri cognoscere consueverunt. — « Cur enim, aiunt, — haec rerum inopportuna ignorantia, vel potius ac rectius, haec morum falsitas? Omnia puer noverit cito, omniaque videat, vel quae omnium temporum iudicio sapientes prudenti quodam velamine obducenda esse sunt opinati ».

Verum contra pravum hoc effatum omnino improbandum et illis quos prudentissimos veneranda antiquitas semper habuit, nobili ira exardescentes surgere debitum nostrum est.

Est enim, nostra potissimum aetate, omnis quorundam parentum cura, ut liberi valetudinem in primis curent atque tueantur; ac propterea eos perpetuis sermonibus monent ut in rebus quibuscumque agendis victoriam aliquam referant, ut sani sint validioresque, ele-

gantius se vestibus induant; maturius doctrinam assequantur, ingenio maxime indulgeant; uno verbo, liberos plerumque diligunt, non equidem reverentur. Non inficiamur haec esse laude digna; at vero, si rem intimius perspexeris, unam videbis esse prae ceteris virtutem institutoribus commendandam: morum exemplum atque integritatem.

Puer, e contra, quid nostris temporibus plerumque auribus arripit, quid frequentius a parentibus audit, quam de pecunia? Homo ille, — dicunt, — ditissimus est: magna pecuniae vis est necessaria ut bene vivat. — Ille strenuus laudatur fortisque, si multos congesserit nummos; puellae autem facile nubent quando ampla est eis dos. — In ipsa arte exercenda illam assequaris quae magis lucrosa esse videtur. — Ille testatus est? Oh! si me heredem advocasset! — Fitne aliqua publica sortitio? Tessera est adquirenda; et per aliquot menses aeternus erit de fortuna sermo.

Semper pecunia monstrum illud est quo pueri capiuntur, eorumque mens labilis molliorque cera et mirum in modum flexilis, in falsam vitae viam pravamque abripitur, ut rarius omnino ad aliquod sanctius consilium adsurgere possit.

Haud desunt falsae incusationes; tunc puer citissime discit amicitia simulationem frequentiorem esse, virtutem ipsam inter multos fictionem, mansuetudinem dementiam; magistros ineptissimos omnes, foeminasque improbas. Propterea antequam ad primum vitae limen perveniat puer, quidquid sibi boni mente consilioque effixerat, disparuit.

Equidem oportet nos vel a teneris unguiculis puerorum animas vereamur, neque fiduciam quandam laetitiae in ipsis suffocemus, quam postea immites animi cupiditates obruent, quae veluti venti procellosi mentem hominum agitabunt.

**

Ad haec adde improbam librorum cum figuris illuviem, quae vulgo et verissima *pornographia* dicitur, quae, sin in omnibus, in pluribus sane domibus vel honestioribus cernitur; nunc ineptis quoque salibus sermo adspergitur; nunc prolixa rerum gestarum narratione, vel denique velatis tamen verbis ad rem turpem attingit. Difficile etiam malignae voluptati renuntiatur hospites salaci quodam verbo hilarandi, vel aemulum mordendi, occultae eius culpae narratione. Aliquando nec vere immunditia est, nec propria: sed turpe aliquod facinus quod civitatis ephemeredes fuisse atque acerbissimis coloribus evulgant, et sordidum in primis, iniucundum, quodque plebeium omnino sapit: narrat nunc homicidium, vindictam, animi saevitiam; quae veluti labeculae candi diorem puerorum mentem maculant. — Ut se se aliquomodo excusent, dicunt: — « Puer ignarus est, haud intelligit! » Nego admodum. Intelligit equidem usque et omnia; et si in adversum fortassis semel currit, res ei semper in peius ruit. Etsi enim rem perspicue non cernit, remanet tamen vel confusa animi impressio, patrem aut matrem res malas aliquando dixisse, vel de re risisse, quam ei abscondere niterentur, sive puerorum fides in parentes integra esse desinit.

Quandoque ipsi improbi fastidiunt animoque turbantur, quod pueros intellexisse timeant eosque male compellunt: — « Cur hic stas ad auscultandum? Eia! Apage! Vade! » Et ipse utique recedit, at turbidus quod iniuste areatur. Puer iudex est formidolosus: eius enim conscientia ad rectum semper malumque tendit, nescit modo et ratione aliquid facere mediumque se gerere. Atqui ei non modo sunt munera; iura quoque ei debentur; iura videlicet sanctissima

pro conscientia, pro fide, et pro ipsa eius inscitia. Nos idcirco cogitare debemus ipsos aliquando opera nostra iudicatores esse, ipsaque verba; et felix admodum ille adscribitur, qui memoria patris imaginem repetens vel ab infantia respicit puram undeque cum dignitate atque auctoritate, et imaginem matris purissimo amore splendidam prudente obsequio.

Haud iuvat a schola quid boni quaerere: ad eam etenim, veluti ad litus, in dies irruit crescens et procax tunicatus popellus; ac propterea non e scholis est nobis petenda puerorum sanctitas, eos e contra omnibus auxiliis tueri ut corruptionem, quae in scholis plerumque diffundit, repulsare queant.

Quum e familiis homines puriores exhibent, tunc demum schola erit morum integratatis magistra.

SUBALPINUS.

Ingenuarum artium specimen

ANGELICI FAESULANI TABULA

S. LAURENTIUM REFERENS

ECCLESIAE BONA PAUPERIBUS DISTRIBUENTEM.

Inter mirabilia Vaticanarum aedium domus eminet, quae a Nicolao V Pontifice nuncupatur, Bernardi Rosellini architecti opus, conclavia celeberrima continens, quae Raphaelis Sanctii nomine distinguntur.

Non minus hisce tamen, atque iure merito celebratur parvum eiusdem domus sacellum, quippe quod murales tabulas servat udo coloribus illinitas ab Angelico illo Faesulano, religiosae picturæ instauratore, de vita sanctorum Stephani et Laurentii agentes, quaeque optimae illius artificis reputantur. Earum specimen lectorum oculis hodie subiiciimus, Laurentium diaconum effingens

Ecclesiae bona, quae Decio praefecto appetenti tradere noluerit, inter paupe-
res dividentem. Suavitatem gratiamque
in figurarum ambitu, lenem gradationem
in gressu colorum, genuinos sincerosque
corporum motus, capita pulcherrima
haec tabula, sicut ceterae, praesefert.



Tanti magistri egregia opera, Nicolai PP. V iussu elaborata temporis decursu vetustate paene consumpta erant. Instaurari igitur primum mandavit Gregorius XIII Pont. Max., ac deinde, superiore saeculo, Pius PP. VII.

X.

VETERA ET NOVA

De tormentis bellicis.

Nova noscendi studio praeditus, quae non semel vetera demum inveni, libenter aliquot abhinc mensibus in *Alma Roma* vulgavi, quae de *pyloclastro* a Famiano Strada relata, ad me miserat socius clarissimus F. Falconis (1). *Pyloclastri* nomine Famianus bellicum instrumentum certe designavit, in usu ad huc, quod vulgo *bomba* dicimus, a graecanica voce *βόμβος* (fragor-strepitus) verbo ipso proculdubio apud nos deducto, *Pyloclastrum* tamen nescio utrum ex portarum expugnatione noster dixerit, verbo ex graeco fonte composito, a πύλη scilicet, hoc est a porta oppidi, et οὐλάω, frango; an ex latino simul et graeco; quo in casu « *globus frangens* » sonaret. Hac vero ratione cum *i*, non *y*, verbum idem scribendum est; quam γραφήν moderate ego suggesserim ad globum ferreum generatim significandum fomentis flamarum repletum atque missilem manu.

Quidquid fuerit, quum mihi persuasum esset alias etiam de bellicae rei tor-

(1) Cfr. fasc. mens. Aprilis MCMXV, pag. 77.

mentis, post pyrium pulverem inventum, descriptiones et facta nomina apud saeculorum XVI et XVII scriptores reperi, quae sive recta, sive paucis immutatis aptari hodiernis possent, aut saltem ansam praeverent antiquis verbis revocandis, aut novis necessario efformandis, eorum scriptorum nonnullos pervolutare coepi, exitumque mearum investigationum, vobis, socii atque letores humanissimi, submittere cum aliqua qualicunque animadversione mea sine mora constitui.

En in primis *piloclastrum* aliud, quod Maffei (MDXXXVI-MDCIII) *incendiariam bolidem* nuncupat (1): « Sed e propinquo — scribit — nihil Indos aequiterrebant, atque incendiariae bolides, quod est inventum eiusmodi. Illam ex argilla semicocta, quod facilius deinde rumpatur, circumdati ansulis tribus quattuorve, sulphureo compleat pulvere et osculum diligenter obturant; tum ad eas ansulas igniti funiculi e gossipio vel stupa alligantur. Ubi ad coniectum eius teli ventum est, contorta brachiis olla repente diffringitur; et simul arreptis e fomite adalligato favillis, ingenti circumstantium damno, flamas edit inevitabiles. Quod missilium genus, in proeliis dumtaxat navalibus primo usitatum; ad terrestria quoque certamina exitiali commento deinde translatum est ».

Haec Maffei. Quid quod, si nos ad aetheria hodie transferamus, incendiariaeque solidis definita appellatione igniferum globum distinguamus, qui ex aëre onavibus nunc demittitur?

Idem Maffei tormentum bellicum describit (2), quod a cannae forma nomen apud omnes populos iamdiu usurpavit. Haec ille: « Nondum apparuerant gentibus iis novae subtilitatis et operis

(1) *Hist. Ind.*, lib. VIII.

(2) *Ibid.* lib. I.

admirandi ballistae, oblongum in tubum et aequaliter teretem ex aere fusili figuratae: quae non funibus aut nervis intentae singula mittunt spicula; sed inexcogitata priscis ratione, ad applicitos tenui ab tergo foramine igniculos, cum incremento multiplici rapiebant certo primum *nitrati* ac *sulphurei* pulvveris modulo temperatae, insertos dein ore patente ferreos ex arte globos catenasyne et alia obturamenta, fulminum instar flammis eluctantibus cum horrendo fragore contorquent ».

At varius magis atque finitus de re Iovius qui, in lib. *Historiarum* II, haec habet: « Plurimum autem admirationis atque pavoris omnibus intulerunt tormenta curulia supra triginta sex, quae equorum iugis per aequa pariter atque iniqua loca incredibili celeritate ducebantur: maxima eorum longitudine octonum pedum, pondere vero sex millium librarum aeris (*cannones* appellabantur); quae aequali tubo humani capitis magnitudine ferream *pilam* emittebant. Secundum *cannones* erant *colubrinae*, sex-qui-altera longiores; angustiore tamen fistula, pilaeque minoris. Seabantur *falcones* adeo certa proportione maiores ac minores, ut minimis tormentis, pilae medico malo persimiles emitterentur ».

Habes hīc tria aeneorum tormentorum genera, totidem nominibus distincta; quorum primum tormentorum eorum, quae « *cannones* appellabantur », et hodie quoque sic vulgo dicuntur.

Verbum ne in latinitatis usum inducere credemus?

Procul dubio *cannones* ex forma latinae *cannae* originem, ut superius innuimus, repetunt. *Canna* est enim: a) frutex palustris ex genere arundinum; quinimo (ex Juvenal. v, 89) videtur accipi pro maiore arundine, ex qua olim a quibusdam populis Indiae et Aegypti

naviculae factitari solitae; b) fistula, qua canitur. Sed tamen accretionis et amplificationis notas, quibus in hodiernis sermonibus utimur, (huiusmodi enim *cannone*) in latino non reperiuntur. Itaque vox, iuxta demissam sententiam meam, expungenda nobis est.

Quid igitur?

Si in bellie huius tormenti officium et vim intendamus, non crediderim fore ut hodierni *cannones* latine exprimere nequeant. Fuit enim apud veteres *cata-pulta* «genus machinae, e qua iacula et alia quaedam mittuntur» (1). Quae alia? Saxa aut globos e plumbō, ut Appianus in Mithridatico id clare edicit: «Quod Sulla ex catapultis ad viginti simul *plumbeos graves globos emisit*, multosque intermit, et turrim Archelai concussit et quasi vitiavit» (2). Praeterea catapultae in maiores et minores dividabantur (3); causam non video cur *cannones* «aenea catapulta maior, aenea catapulta minor», iuxta eorum magnitudinem dici nunc non possint; quin etiam sublato ipso adiectivo *aenea*, quippe quod facile subintelligatur.

Quum autem catapulta temporis decursu cum *ballista* confusa fuerit, quando fortasse non amplius machina petraria unice extiterit, sed et

*Phocaīs effundit vastos ballista molares,
Atque eadem ingentis mutato pondere teli
Ferratam excutiens ornum media agmina
[rumpit] (4),*

et cuique telo aptata est, *cannonem* quis vetet et ballistam quoque appellare? Quamquam si ballistae nervos considero, miramque telorum emissionis ab ea frequentiam, ut *fulminalis* etiam nuncupata sit (5), eius *cannonis* genus per

(1) Aristophanis Scholiastes apud LIPSIUS *Poliocreticon*, lib. III, dial. 2.

(2) Apud LIPSIUS, ibid., dial. 3.

ipsam vocem maluerim indicatum, quod *mitragliatrice* Itali dicimus; Galli *mitraillouse*.

De *colubrina* et *falcone* vocabulis tormentis bellicis applicitis, iisque ex forma colubri anguis et falconis avis, imo forte ex huius unguibus more falcis introrsum flexis derivantibus, non habeo quid hodie dicam; dummodo ne, potius quam e tormenti forma, ex *colubri* vocis origine: — («quasi colens umbras» aut: «cavernas subiens») — colubrinae nomine *cannones* illos facile translatis distingue nunc velimus, qui in arcibus aut fossis malitiose occultantur.

Et hodie satis.

I. F.

COMMUNIA VITÆ

De diaeta recte instituenda.

II.

Quantum cibi cuilibet sumendum sit, nec pondere nec numero definiri potest. Iis qui studio diutius vacant, maxime commendatur Cyri diaeta, qui nunquam sine appetitu accubuit, nunquam satur surrexit. Quo spectat consilium Hippocratis: «Sanitatis cura est non satiari cibo, et impigrum esse ad labores». Videndum itaque ne spurius appetitus ducat ad gulositatem et ad coecam infarciendi corporis libidinem, brutis relinquendam, quae natura prona et ventri obedientia finxit. Notum est Graecorum proverbiū, quod Galenus alicubi laudavit: «Pinguis venter sensum tenuem non gignit». Studiosi enim duris laboribus non exercentur; vis igitur coctrī debilior est apud illos:

(3) LIVIUS, xxvi.

(4) SIL. ITAL., lib. I.

(5) LIPSIUS, Op. cit., lib. III, 2.

sequitur talem cibi quantitatē eos eligant oportere, quae commode digeri possit.

Temporis etiam ratio hīc habenda est. Nam hieme ventres calidores scripsit Hippocrates, nimirum per ἀριστερά; ergo hiberno tempore largius prandere licet, quam aestate, quum calor naturalis a centro ad superficiem, vialibus annuentibus, libere solet excurrere.

Tempus, quo cibum capere conveniat, non facile determinatur. Agricolae, messores praesertim, certas horas ientaculo, prandio, antecoeno et coenae sibi figere consueverunt; atqui vitae generi et consuetudini aliquid concedendum est. Saepe et parum comedere, gracilioribus non est inutile. Saluberrimum doctrina docuit esse bis interdiu cibum capere, debito interstitio prandium a coena disterminare, et parcus coenare, si quando prandium fuit liberalius, ne cruditati locus detur et occasio.

Nec fortasse inutile erit studiosos monere, ut inter prandendum et coenandum erecto sedeant corpore, non nimis prono, neque circa stomachi regionem contracto atque curvato.

In ciborum denique ordine haud negligatur, ut liquida prandium inchoent et coenam, quia facilis descendunt, alvum lubricant, et impediunt ne tartarei et viscosi humores facile adhaerescant.

Huc etiam pertinent illa, quae facile corrumpuntur, ut fraga, uvae, melones et huius census alia, quae ceteris cibis recte praemittuntur; quo ordine observato, multa mala possunt praecaveri et facile evitari, praesertim si accesserit illud Hippocratis: «Omne nimium, naturae inimicum».

* *

Venio nunc ad potum, quem temperatum eligant qui studiis incumbunt, et bene depuratum. Qui vinum bibunt,

saepe bibant irrigatum, raro autem ut est «a matre natum», quemadmodum Plautus in *Amphitrione* vocat merum vinum. Qui hīc maxime auream medicritatem non observant, meminerint vinum intempestive haustum caput ferire, bonam cerebri constitutionem destruere, hepatis οβεξίαν solvere, calorem naturalem et nervos debilitare. Si quando, e contra, vinum moderate bibimus, calorem naturalem et spiritus roboramus, ciborum adiuuamus distributionem, et etiam suavem aliquam serenitatem nobis inducimus.

Sunt qui cerevisiae adsueverunt. Hi optime coctam et defoecatam eam elitant, minusque evaporantem; at, non minus quam qui vinum appetunt, abstineant ab immanibus illis cyclopis polyclorum certaminibus, ebrietatis fomite, quae nihil aliud est, quam voluntaria insania, et vivi hominis miserrima sepultura. Proscribantur itaque istae catarractae et pluviae impetuose cadentes in omnes corporis partes!...

Neque haec demum a mente excidunt, eos qui ieuno ventriculo bibunt, capiti et nervis arietem intorquere; qui illico post prandium et coenam, coctionem turbare, ventriculi orificium recludere et vaporibus viam in caput sternere e confragosa planam; qui post exercitia et balnea, quando corpus incaluit, sibi saepe mala adsciscere, quae difficulter postea cedent.

Et, ut coronidis loco adiiciam, quandoquidem studiosi et litterati omnes sedentariam agunt vitam, nec facile resolvunt corporis humiditatem, parum bibant; tantum, quantum natura postulat, ne suo iumento omnis generis aegritudines accersant, cum quibus postea conflictentur, ut Iupiter cum Gigantibus, qui tentabant Pelio Ossam atque Ossae frondosum involvere Olympum.

Doctor HAVER.

ANNALES

Europaei belli eventus, qui per superiorem Iunium mensem facti sunt, resumentes, ex Italia nostra initium ducemus.

Tripartito agmine Italorum exercitus Austriacorum fines praetergressus est: unum in Rhaetiam ac Tridentinum, in Carniam alterum, tertium in Friulanum processit. Primus imperatorum scopus iure erat impedire, quominus territorium nostrum ab hostibus invadiri posset; oportebat igitur montanos illos transitus occupare et munire, quorum ex possessione inferior ille status tolleretur, ab infelicibus confiniis creatus, nobis anno MDCCCLXVI attributis. Res optatis prospere ubique cessit, a Rhaeticis montibus Baldo, Corno, Foppiano, Pasubio, Baffelan, per Carnica itinera, quibus vulgo ab Inferorum valle nomen et a Monte Crucis, ad Friulana oppida Caporetto, Cormons, Versa, Cervignano atque Terso, collesque inter Iadrium Sontiumque flumina. Hic maior nostrorum impetus, qui flumen ipsum, exstructis mirabiliter pontibus acerrima que defensione victa, prospere transiecerunt.

Hisce pluribusque aliis locis potiti, eaque tutantes strenuissime ab hostibus amissa recuperare conantibus, prudenti consilio ac sine inconsulta festinatione per vias inter Alpes impervias, vallata ac septa expugnando, bellico omni artificio disposita, ulterius Itali progressi sunt, oppida Montis Falconis, Gradiscae, Plava sibi per vim adiicientes, Tolminumque et Goritiam versus procedentes, quas urbes iam prope minantur.

Adversus hostium victorias, quibus officere armis non valuerunt, Austriaci indignis civilium populorum clarigatio-

nibus utuntur; gasia illa suffocantia adhibent, et incendiarias bolides ex aeronavibus demittunt in inermes aper- tarum, prouti vulgo dicitur, civitatum incolas iuxta Italicum Adriacum litus. Quinimo vituperanda hac ratione hostilia in Italos ipsi coeptarunt.

Sed iam ad alias, ubi acrius debacchatur bellum, sedes deveniamus; quamquam ex quo nos in certamen descendimus, minus facile est, planis perspicuisse nunciis deficientibus, integritatem illam rerum perspicere, quam fideliter reddere in menstrua hac recensione huc usque studuimus. Itaque sermonem nostrum iis factis circumscribemus, quae certiora videntur.

Galli igitur fortunatas oppugnationes ad Souchez, Nemetocernam (hodie Araras) et ad superiorem cursum Axonae fluminis operati sunt; Neuville urbem recuperarunt, simulque cum Anglis Flandrias hue illuc invaserunt: nunc in Alsatiae fines pergere dicuntur.

Russi post relatas victorias tum ad San flumen, tum inter Vistulam atque Przemysl, hanc arcem dereliquerunt, ne Yeroslavio ac Radymno a Teutonis occupatis, copias suas locis inaequalibus et per quam asperis inutiliter exparent. Vicerunt pariter ad Danister flumen; non tamen potestas iis fuit prohibendi, ne hostes ipsum prope Nizniew transirent. Declinarunt igitur ad Leopolim, in quam, recendentibus amplius Russis agminibus, die xxii Iunii mensis Teutones ingressi sunt. Dum scribimus, iuxta Gnilalipa Russicae copiae condensantur, opportunatatem renovandae offensionis exspectantes.

Denique, quum vario Marte in Hellesponto pugnatur, Nigri Montis exercitus, post Bosniaca nonnulla oppida capta, die xxviii superioris mensis

triumphantium more Seodram ingreduntur.

Ad aerumnas tanti belli saltem minuendas, iterum iterumque et proximo mense succurrit Summi Pontificis Benedicti XV misericors et providentissimus animus. Ipse enim legatum ad Helveticae civitatis praesidem misit, ut in illa regione, neutri favente atque in medio flagrantis campi posita, loca constituerentur, ubi hinc Belgarum, Anglorum Gallorumque, hinc Teutonum in bello captivi vulneribus aut morbis affecti, securam medelam malis suis invenire possent. Quibus pietatis desideriis optime respondit Helvetia, constituens ut viginta horum miserorum millibus hac ratione pro tempore subveniatur.

Ne belli argumentum etiam deseramus, mentionem statim faciemus de infeli Mexicana republica, a civilibus tumultibus semper agitata. Carranza ducis fautores nuper meliorem locum se habere rursus visi sunt; at paulo post fugam capessere debuerunt, ab adversariis circumventi, qui nunc fortasse ab alia factione superantur. Interim foederatae Sempentrionalis Americae Civitates palam minitantur se per vim huiusmodi motus tandem aliquando coercituras, qui non parum et finitimum nordicæ Americae territorium conturbant.

Kiachta, Mongolica in urbe, conventus habitus est inter illius civitatis, Sinarum et Russiae legatos ad foedus feriendum, quod die vii mens. Iunii reapse subscriptum est. Confirmans hoc Mongoliam sui iuris esse debere, nominale imperium attribuit Sinis, quibus igitur, itemque Russiae, ne administratio quidem civitatis invigilanda in posterum erit. Sperandum fore ut foedus idem,

una cum pactis a Sinis et Iaponia — ut alias diximus — sancitis, pacis aevum in ultimo saltem illo Oriente adducat.

**

In Dania nova regni constitutio, quae ex futuro inde anno vigebit, regiam sanctionem obtinuit; in Batavia populi legatio apud Romanum Pontificem ad tempus decreta est.

Kalendis Iuliis MCMXV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Homarano! — Quid hodie te exagitat? Felinumne clamorem hoc verbo imitari studiisti?

Absit; res, contra, est maximi momenti summaeque gravitatis! « Homarano » idem est « hesperantica lingua » ac « humanae familiae membrum »; Zamenhofiusque, canus ille et venerandus hesperanti inventor, — cuiusdam sermonis scilicet a nullo homine percepti, tot sermonibus a tot gentibus intellectis substituendi, — ad populos universi orbis vehementissime provocat, ut sine mora novam eamque immensam nationum omnium societatem componant « homaranismi » nomine distinctam; interim autem singuli nomen suum mittant ad « homaranorum » centrale consilium, ex quo futurae societatis constitutiones iam nunc manantur.

Quamquam eae summis capitibus iisque temporariis adstrictis; decies enim deciesque centena sociorum millia easdem tandem definient.

Quid autem simplicitate sua mirabilius, quam novi huius foederis scopus? Qui quidem in articulo eiusdem consti-

tutionis primo ita continetur: « Homaranum se fieri appetens, eo ipso maximam aerumnarum culparumque esse dicit humani generis divisionem in diversos populos atque in communitates nationum ac religionum ». Itaque foederati humani generis status condendi, non solum ad civiles res apti; sed etiam ad religionem, mores, sermones. Tricæ aedepol! ut videtis; hac tempestate praesertim, qua corde uno et anima una vere homines vivunt! Ad id fortasse magister praeclarus docet patriæ sensum et nomen esse omnino abolenda, imo singularem nationum; quippe quae, uno vel eorum sono, quum praeterita revocent, patriæ conceptum difficulter abolerisinant.

Quid igitur de diversis orbis regionibus? Nihil timendum: calami ictu obliterantur, iisque « nomina neutra geographica » substituentur, et ipsa delecta atque indicata a coetu illo homaranorum universali, qui in unum, expeditissime procul dubio, conveniet. Nullum erit enim inter congregatos discrimen; a quibus nemo requisiverit, quanam e gente venerint: quia unum esset identicum responsum: « Homaranus sum! »

De uniuscuiusque lingua nulla pariter quaestio: namque homaranus quisque « a priori » dignoscit sermonem inter praecipua argumenta divisionis populorum recensemendum esse; unum igitur eumdemque neutrum sermonem (nonne « hesperanticum »?) adhiberi oportere, qui scruta illa, civilibus populis indigna, in usu adhuc ad orcum demittat.

Circa religionem quoque homarano tenendum est veteres omnes cultus, et ipsos divisionis causas, explodendos esse, iisque una religio sufficienda — oh! mirabile, apertum, sapientissimum inventum, ac prope divinum! — « humana, neutra, nulli traditioni, peculiari doctrinae nulli innixa »: haec profecto radicitus mores immutabit, qui, traditione

quavis — ecquid non? — immunes, neutri mores necessario fient.

Haec, inquam, homaranismi summa; quæ quum didiceritis, ne clametis, quæso: « Hercole! festivi homines et inter senes non desunt! » Atrox enim dubium in mente versari debemus: « Numne quo homaranissimi evadamus, et sexus commutandus nobis erit in neutrum? »

* *

Musicotherapiae vim in superiore fasciculo vidimus; sint in hoc aliqua **de heliotherapia**, iuxta Rollier doctoris in Lutetiana Disciplinarum Academia relata.

Cuius deductiones fructum annorum duodecim in experimentis actorum constituant, per quos mille casus et ultra in examen diligentissimum revocata sunt. Eos opportune distributos doctor ille descripsit; monstravitque ex solis cura complures morbos resolutos, praesertim si de vulnerum cicatricibus ageretur.

Heliotherapia igitur tristibus hisce in rerum adiunctis utilis maxime evadere potest. Saucii enim multi, quorum vulnera in bello corruptionem passa sunt, vel in subsequentes suppurationes convertuntur, per solarium radiorum beneficam actionem revocari cito ad valitudinem queunt. Facile vero intellectu est rationabili applicatione prudentique consilio et in hac cura oportere; quae unice medicus indicare potest.

* *

Non unus iam transiit mensis, quin aliquam cibi aut minutalium confidorum rationem praeberem. Nolo, ulterioris silentium proferendo, quisquam mihi succenseat, praesertim anonymus ille meus Badaicensis... Hodie igitur, praevidentis formicæ ad instar, **fructuum iuseula** ad hiemen servanda comparabo.

Sint, ut eorum alterum ad exemplum suscipiam, — cerasa. Ea duriora, matura atque sana omnino praeferenda:

abscisso caulis dimidio, acieula cerasum quodque perforetur, in vitreumque vas immitatur, quod deinde claudi perfecte aliquo modo liceat. Totidem vini spiritu in vas effuso, quantum sufficiat ut cerasa omnia eo obruantur, adiectisque sacchari gramm. 150 °_{loo} nonnullisque aromatibus (cinnamomo, garyophillo, coriando, pipere et sim.) in lineo sacculo repositis, vas obturetur.

Post hebdomas sex, aut, ad maximum, menses duos, aromata omnia abstrahere, occlusoque deinde optime iterum vase, serva iusculum ad voluntatem.

* *

Ioci.

— O doctor, linguam mihi ipse mordi: numne in periculo sum?

— Dummodo ne hydrophobia labores...

* *

— Ehus, puer; ais te pensum scholasticum absolvisse, dum charta omnino est alba?

— Atqui hoc erat pensi argumentum: « Segnitiae effectus patefiant! »

Aenigmata.

I.

Quum me de laribus propriis exire decebit,
Exeo ab interno ac interiore loco;
Sic ego quum faciam, firma gens mente putabit
Me veluti insanis passibus ire vias.
Quum multo sim rapta metu ne invadar

[ab hoste,

In dorso posui tegmina tuta meo;
Si mihi deinde caput nudum rasisque capillis,
Errori parcant; foemina namque rudis.
Me duplex armavit hebes tutaminis ensis,
Qui me defendat· tum premo lenta vias.
Quocumque occursu gladios in veste repono:

Sic incidenti mens cerebrosa placet.
Vivo clausa domi producti temporis orbe;
Egerit et stomachus plurima sputa meus.
Egerit humorem nimium mea membra
[gravantem;
Id mihi de madida sede venire puto.

II.

Ardeo candescens: digitis me tangere noli
Sumere si me vis, forcipis utere ope.
Inseritur mihi vocalis? Me fervidus aestus
Illico destituit iam rigeoque gelu.

(Aenigmata in superiore numero proposita
his respondent: 1) *Cera-sus*; 2) *Miles, Selim.*
IOSFOR.

Librorum recensio.

Institutiones Philosophiae, pars III: *Ethica et Ius naturale*, auctore FRANCISCO VARELLO. (Ex Libraria Internationali Editrice (S. A. I. D.), Augustae Taurinorum.

En librum, omnibus quibus de tractato argumento cura est, legendum atque perlegendum.

Auctor quidem non doctrinam solum ampla eruditione complectitur, sed egregio rursus ordine distinguit, in articulos dividit, ita ut uno quasi conspectu statim in tota sui amplitudine et in partibus inter se connexis eam exhibeat oculis.

Ubi autem de tractatione ipsa quaesiveris, hoc tibi praesto erit, auctorem veteranum, imprimisque sancti Thomae, doctrinam egregie callere et tenere, additis etiam hodiernorum, ubi occurrit, argumentis ex iisdemque temporum nostrorum quaesita apprime enucleare, atque confirmare ubi iuri nitantur, confutare quando iuri reapse adversentur.

Methodus quidem scholasticorum est, qualis requiritur ad informandam imprimis iuvenum mentem ipsam absque furo veritate; omnibus vero etiam proiectioribus utilis et grata, utpote quae non obruat verborum farraginibus, sed extemplo rationem eamdemque perspicuam exhibeat, ad mentem alliciendam simulque et convincendam.

Stylus denique brevitate, perspicuitate atque proprietate nitet, neconon elegantia et facilitate.

Egregius, verbo, liber, studiosis omnibus terendus.

I. I. B.

ROMA SACRA

Emus. et Revmus. Vir FRANCISCUS Card. CASSETTA, Episcopus Tusculanus, S. Congregationis Concilii Praefectus, superiore mense Iunio quinquagesimum Sacerdotii annum feliciter explevit. Dum decori illi sacri Purpuratorum Senatus et Aliae Romae nostrae Patrono benevolentissimo, ex animo gratulamur, fausta omnia et bona Ei ominantes, obsequii etiam nostri tributum hic ponere voluimus, litteras referentes, quas auspicata illa iubilari die ad Eum SSmus. D. N. Benedictus PP. XV mittebat:

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Propediem quinquaginta ab inito sacerdotio te completerum annos equidem valde libenter cognovimus. Namque idoneam haec eventus faustitas dat Nobis causam eius declarandae, qua sumus erga te obmerita, perstudiosae voluntatis. Profecto spatiuum praeteriti temporis ipse respiens, hoc ante omnia tibi gaudere debes, quod omnium officiorum tuorum muneribus semper, adiuvante Deo, sancte es utiliterque perfunctus. Sed ad bonae conscientiae testimonium non exiguum gaudii accessionem communis gratulatio bonorum afferet, qui te iure habent decus et ornamentum romani Cleri.

Hunc tu enim egregie non tam Purpureae splendore, quam sacerdotalium virtutum, munificae praesertim caritatis illustras. Nos igitur gratulantes tibi ex animo, et agimus tecum gratias Deo, qui te ad hunc diem sospitavit, et, ut benignus perquam diu te Nobis atque Ecclesiae conservet, rogamus.

Auspicem vero divinorum munerum ac testem praecipue Nostrae benevolentiae, Apostolicam tibi benedictionem, venerabilis Frater Noster, amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VII mensis Iunii MCMXV, Pontificatus Nostri anno primo.

BENEDICTUS PP. XV.

Ex S. Poenitentiaria Apostolica.

De militibus in statu bellicae convocationis.

Proposito S. Poenitentiariae Apostolicae dubio: « Utrum miles quicumque in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, *mobilizationis*, constitutus, ipso facto aequiparari possit iis qui versantur in periculo mortis ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolviri », responsum est: « Detur responsum diei 18 Martii 1912, ad Episcopum V., nempe: *Affirmative*, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas.

(Ex decreto d. xxix mens. Maii MCMXV).

Ex Congregatione Rituum.

De syllabis hypermetricis quoad cantum.

Regula descripta in Antiphonario Vaticano circa syllabas hypermetricas, quae frequenter occurrunt in cantu hymnorum, scilicet quod ipsae non eliduntur, sed distincte pronunciantur propriaque nota cantentur, stricte et rigorose interpretanda non est, sed e contra licet etiam ipsas syllabas elidere, praesertim si in praxi id facilius et convenientius censeatur.

(Ex dec. d. xiv mens. Maii MCMXV).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

Benedictus PP. xv. pacis iurium adsertor et vindex

A. d. III Nonas Augustas MDCCCLXXV in patrio athenaeo, Iacobus Della Chiesa, marchio, domo Genua, iuvenis admodum, sed studiis iam et litteris inclarescens, lauream iuris civilis magno cum honore eunctisque suffragiis adipiscebat. Quisnam tunc, nedum diceret, sed cogitaret adulescentem illum, qui ad eum gradum consequendum de legum interpretatione disseruit — hoc enim *thesis* suae argumentum — exeunte ab illa die anno quadragesimo, acerbissima post hominem memoriam atque exitiali tempestate, divinarum et humanarum legum non unice interpretem sed adsertorem gravissimum et vindicem in excelsa Petri cathedra futurum?

O mira Providentis Dei consilia! Nulla enim, credimus, laurea alumno cuiquam aequiparabilem praebuit adscensum. Id vero hac praecipua ratione contigit, quod novus ille iuris doctor usque ad solium hoc gradatim procedens, unde immensam nunc auctoritatem suam deducit, summa ope atque assidua

nitus est, ut aeterna, immutabilia iuris principia unice contemplatus, iuris visionem puram liberamque ab omni subiectione sibi servaret, ad quam saepe heu! nimis in civili institutione redigi solet, ut cum rerum eventibus componatur. Seilicet iter in seipso revolvens, quod Ecclesia per canones suos inter iuris regulas et consuetudines singularum gentium singularumque aetatum saeculorum decursu peregit, studia omnia sua ad aequum bonumque perpetuum assequendum convertit. Ita nunc, inter tot armorum strepitus, ingravescente dominantium invidia atque odio, unus Ille bellantes principes alloqui protest, aperte atque impavide eos monere et ad mitiora consilia pacemque revocare; non quidem eam pacem quae admiratione illa empirica fulcit erga rem actam, unde felices vis exitus, bellorumque ratione qualibet habiti successus ad iuris honorem crebro feruntur; sed cuius fundamentum in populorum naturali iure honestisque desideriis ponit.